



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo
deliberantibus accomodata, Una cum ...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1680

[Prooemium.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

APPENDIX

Divisionem Octiduanæ Recollectio-
nis Religiosæ, præcipuè Sacerdotibus, perfe-
ctionis studiosis, & solidam virtutum exercenda-
rum praxin addiscere volentibus accommoda-
tam continens.

PROOEMIUM.

Inter alia impedimenta, per quæ multi à profe-
ctu in perfectionis studio impediuntur, illud
non postremum meritò censetur, quòd debitam
perfectionis, & virtutum cognitionem & æstima-
tionem necdum hauserint; cum enim ignoti nulla
cupido sit, quid mirum, si ardens desiderium per-
fectionis ac virtutum consequendarum non haufe-
rint, qui nunquam de illarum seu præstantia, seu u-
tilitate seriam cogitationem conceperunt; certè in
meditatione potissimùm hunc ignem desiderij exar-
descere, jam olim Regius Psalter Ps. 38. testatus est.
Quare ut hoc impedimentum efficaciter tollatur,
non parùm proderit, seriam aliquando de hac mate-
ria cogitationem per aliquas dies suscipere; quem
in finem sequentes Meditationes sunt compositæ, in
quibus & Natura singularum virtutum Homini per-
fectionis studioso convenientium clarè exprimitur,
& motiva, mediæque ad earum consecutionem ad-
juvantia suppeditantur.

Ut autem ordo in hac distributione observatus,
qui ab Ordine consueto ac à S. Ignatio præscripto
nonnihil recedit, novus aut inusitatus non videatur,

tur, sciendum est, ipsum S. Ignatium in annotationibus suis monere, non esse necessarium, ut omnes semper Meditationes ab ipso præscriptæ ei, qui se exercet, proponantur, sed posse interdum solas primæ hebdomadæ Meditationes, subinde alias, prout videlicet finis & necessitas illius exigere videbitur, præscribi. Cùm ergo finis Religioso præfixus præcipuè exigat, ut in perfectionis studium totis viribus incumbat, meritò eidem de charitate, in qua juxta Ascetas perfectio consistit, aliisque virtutibus annexis Meditationes præscribuntur, ex quibus optatus fructus referatur, non parùm proderit, si in Instructione mea Institutiones quintuplicis Theologiae continente Tractatus secundus attentè legatur, ex eo enim & ipsa Natura perfectionis, & singularum virtutum inter se connexio, subordinatioque clarissimè cognoscetur. Præter hunc Tractatum verò etiam utiliter alius liber de eadem materia pro lectione spiritali assumetur, quales exempli gratiâ esse possunt Alphonsi Rodriquez Tractatus de perfectione, & variis virtutibus ad eandem pertinentibus. Franciscus Arrias de imitatione Christi, Crombezius de perfectione, Cressolius aut Rosignolius de virtutibus. Eusebius Nierenbergius de adoratione in Spiritu & Veritate, & similes, quibus jungi poterit lectio Vitæ unius vel alterius Religiosi, qui in eadem Religione Spiritum eidem convenientem perfectiùs est assecutus, ut ex tali lectione simul & finis Religioni tali præfixus claritè cognoscatur, & animus ad eundem totis viribus secundum vehementiùs accendatur, dum non difficiliùs ampliùs reputatur, quod jam ab alio factum contem-